



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

IV. De communicatione ciuili cum Paganis, & præsertim cum Iudæis
prohibita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

tionis, non possit etiam fieri quando procedit ex delictis diuersis heresis, & adulterij. Ad hoc etiā, omiffis variis solutionibus, quæ in idem fortalſe recidunt, responderi potest, differentiam magnam esse inter illos casus; nam inter adulteria vtriusque coniugis potest reperiri aliqua species compensationis in ordine ad diuortium, quæ non potest reperiri in vno casu. Ius enim, quod coniux habet ad diuortium ob adulterium sui coniugis fundatur in ipſo contractu matrimonij: & in obligatione mutua vtriusque coniugis in ordine ad indiuiſionem corporum, vt sint duo in carne vna. Cui obligationi deficit adulter, atque adeo indignus redditur, cui fides seruari debeat; frangenti enim fidem in contractu fides non debet seruari. Hinc innocens acquirit ius ad non seruandam fidem adultero, manente tamen vinculo matrimonij, & obligatione radicali, quæ dissolui non potest, & ideo potest ab adultero diuertere, quia non debet seruare ei fidem cohabitationis & thori promissi. Quando verò idem innocens adulteratur, non potest amplius vt iure ad diuortium, quia iam vſurpauit ſibi, & quidem modo illicito id totum, ad quod acquisierat ius: habebat quippe ius ad frangendam, seu non seruandam fidem, quoad corporis indiuiſionem: id autem totum per proprium adulterium iam ſibi vſurpauit: quare ſi vltius pergeret non tradendo corpus coniugi petenti, veller iam vltra id, ad quod habebat ius: in hoc ergo ſenſu dicitur adulteria mutua compensari in ordine ad diuortium, quia extinguunt, vel impediunt ius ad diuortium; nam primus adulter nullum acquirit ius ad diuortium ex adulterio ſecundi adulteris, quia cum ipſe non ſeruauerit fidem, non eſt facta ei iniuria talis ſecundo, vt dederit ius ad diuortium. Secundus etiam non retinet amplius ius, quod acquisierat ex adulterio coniugis ad diuortium, quia iam fregit etiam ipſe fidem, & vſus eſt iure, quod habebat ad non ſeruandam fidem, licet modo illicito, quare cum vinculum matrimonij manſerit inſolutum, obligat verumque quoad thorum, & cohabitationem, ceſſante impedimento, quod hanc obligationem antea impediēbat.

Hæc autem ratio non procedit, quando ius ad diuortium oritur ex heresi vnius, & adulterio alterius: nam hæreticus ex adulterio coniugis Catholici, acquiſiuit ius, quaſi ex contractu ad non ſeruandam fidem, & debitum coniugale negandum propter fidem ſibi non ſeruata, quod ius retinet integrum, licet labatur in heresim, quia per heresim adhuc non negauit aliquid coniugi promiſſum, ad quod negandum acquisierat ius ex coniugis adulterio; ergo potest adhuc petere diuortium ab adultero. Rurſus adulter ex heresi ſui coniugis acquiſiuit ius, ad petendum diuortium, non ob violatam fidem ſibi datam, ſed in pœnam heresis, cui talis pœna ab Eccleſia conſtituta eſt. Nec potest ei opponi, quod ipſe etiam ſit adulter: fatebitur enim ſe ea de cauſa diſſe ius coniugi, vt ab eo diuerteret, nec poſſe eum ad cohabitandum cogere; poſſe tamen ſe petere, vt patiatur etiam ipſe pœnam lege ſtatutam ne ſcilicet poſſit eum cogere ad habitandum cum ipſo. Exemplum poterit eſſe ad hoc declarandum: ſi Titius conduxit famulum ad obſequium annuum, & famulus fidē contractus violat, poterit Dominus fidem pretij promiſſi nō ſeruare, vel poterit etiam famulum cogere, vt ſer

Card. de Lugo de virtute Fidei diuina.

promiſſis, & ſeruiat. Rurſus ſi Dominus poſtea in heresim incidat: tūc famulus poterit petere, vt declaretur abſolutus ab obligatione ſeruiendi Domino hæretico; non tamen poterit cogere Dominum hæreticum, vt ſoluat pretium promiſſum. Ecce vterque retinet ſuum ius, Dominus ad non ſoluendum pretium ob fidem contractus non ſeruata: famulus ad non ſeruiendum, quia habet ius, vt declaretur ſolutus ab obligatione famulatus, propter heresim Domini: nec dabitur compensatio; ſed vterque ius ſuum retinet, Dominus ex fide contractus violata, famulus ex pœna à lege ſtatuta, quæ duo iura habent obiecta diuerſa: nam ius Domini habet pro obiecto retentionem pretij promiſſi, & ius famuli habet pro obiecto negationem promiſſi famulatus; & ideo non ſe ſe mutuo extinguunt, quia potest vtrumque ius ſimul manere ad obiecta omnino diuerſa. Sic in caſu noſtro coniux hæreticus habet ius ob fidem ſibi ab adultero non ſeruata: adulter etiam habet ius ob pœnam heresi conſtitutam: quæ duo iura poſſunt ſimul remanere, nec ſe ſe extinguunt, quia habent obiecta diuerſa: nam hæreticus habet ius ad negandum ſuum corpus coniugi adultero, propter fidem contractus non ſeruata: adulter verò habet ius, vt declaretur abſolutus à debito reddendi ſuum corpus hæretico: illa autem duo corpora ſunt obiecta diuerſa, quare ſinguli poſſunt retinere ius ad negandum ſuum corpus coniugi, ſine eo quod illa duo iura ſe ſe inuicem extinguant.

Aliqui agunt hoc loco de libertate conſcientiæ hæreticis neganda, vel aliquando iuſtis de cauſis, & ob neceſſitatem permittenda, de hoc tamen diximus, quantum ſatis erat ſuprà diſp. 19. ſect. 2. §. 4.

SECTIO IV.

De communicatione ciuili cum Paganis, & præſertim cum Iudeis prohibita.

Diximus de communicatione prohibita cum hæreticis: nunc dicemus de prohibita cum Paganis, vel Iudeis, vt poſtea dicamus alia communia, ad communicationes prohibitas cum omnibus infidelibus. Nunc autem ſub Paganis, & Iudeis comprehendimus eos etiam, qui poſt baptiſmum, ad Paganismum, vel Iudaismum tranſeunt: nam hi etiam Pagani, vel Iudei propriè ſunt, & communicatio æquè cum illis prohibetur. Non eſt autem ſermo nunc de communicatione in eorum ritibus: de hac enim diximus ſuprà diſp. 14. ſect. 5. §. 4. vbi viſum eſt, quomodo, & quando ea communicatio contineat negationem externam fidei ſaltem implicitam.

Magis poſſet dubitari de communicatione quaſi actiua, qua iis infidelibus ritus noſtræ religionis communicaremus. In quo certum eſt, non poſſe iis conferri ſacramenta Eccleſiæ, cum non ſint eorum capaces ſine baptiſmo; ipſe autem baptiſmus poſſet iis conferri, ſi ſint ſufficienter diſpoſiti. Sacramentalia aliqua poſſunt iis communicari, quando non eſſent irreuerenter accipienda, vt panis benedictus, aqua benedicta, & alia eiufmodi: poſſunt etiam admitti ad communiter orandum Deum verum ritu Catholico. Difficultas eſſe poſſet de ſacrificio Miſſæ, an poſſint per-

G G 3 mitti

mitti infideles, vt ei interfint. Aliqui enim id videntur in vniuersum negare, ex cap. *Episcopus nullum* 67. de consecr. dist. 1. Itq. Suarez alios referens in presenti disp. 18. sect. 6. n. 3. Coninch disp. 1. dub. 11. num. 164. & Castro Palao tom. 1. tract. 4. disp. 2. punct. 9. num. 4. qui tamen cum Coninch excipit casum, quo ex eorum admissione speraretur fructus, siue eorum conuersio; omnes verò concedunt, posse adesse Missæ, vsque ad offertorium exclusiue, vt constat ex dicto cap. *Episcopus nullum*, imò quia communiter fructus speratur, credo sæpe Ecclesiæ ministros conuere, nec expellere infideles, quando turmis fidelium se se immiscerent, vt res nostras sacras obseruent.

107 *An admitti debeat Iudæus, vel Paganus, qui delicti reus, ad Ecclesiam confugit, vt eius immunitate gaudeat, & liberetur à ministris curiæ, qui eum capere volunt. Negant plures: Suarez tom. 1. de relig. tract. 2. lib. 3. c. 10. num. 11. Farinacius, Peregrinus, Megala, Layman, Pereira, & alij, quos affert Diana locis citatis. Fundatur potissimum hæc sententia in l. 1. Cod. de his, qui ad Ecclesiam conf. vbi dicitur Iudæum simulantem voluntatem baptismi non gaudere hac immunitate: quod idem dicendum videtur de Paganis, & Saracenis. Quamuis autem lex illa sit civilis, & ideo in materia Ecclesiastica non videatur attendenda; aliunde tamen videtur approbata in cap. inter alia; de immunitate Eccles. vbi Innoc. III. respondet, hanc immunitatem seruandam iuxta statuta Canonum, & traditionem legum civilium: quare cum lex illa non inueniatur reprobata in vilo Canone Ecclesiastico, non videtur immunitas infidelibus concessa.*

108 *Alij tamen multi dicunt, eos infideles gaudere hac Ecclesiæ immunitate, si ad eam confugiant, siue baptismum petant, siue non petant. Ita Antonius, Syluester, Azor, Gauantius, & alij plures, quos congerit, & sequitur Diana locis proximè citatis, & 5. part. tract. 1. resolut. 2. quæ sententia mihi etiam placet, quia leges Canonice, quæ in hac materia attendendæ sunt, generaliter loquuntur, & fauorem non concedunt delinquentibus, sed loco sacro, cui videtur inferri aliqua iniuria, & violentia, quoties ibi delinqueri vis inferatur. Ad quod parum refert, quod ex Ecclesia violenter extrahatur fidelis, vel infidelis. Quod à posteriori confirmari potest, quia Legati Regum, & alij similes Principes agro animo faciunt, quod in eorum palatiis satellites publici, non petita saltem prius ab eis licentia, delinquentes capiant, quicunque illi sint, siue subditi, siue non subditi, siue suæ, siue alienæ, & contrariæ etiam nationis reputant enim minus reuerenter ad fieri, quod locus ipse videatur quodammodo*

esse sub eorum protectione. Similiter ergo videtur fieri contra reuerentiam loci sacri, si iudices publici, & eorum officiales iurisdictionem ibi suam exercere præsumant; quod genus irreuerentiæ idem est siue sit contra fideles, siue contra infideles, si tamen sine licentia, & consensu Ecclesiæ id fiat. Denique (quod multum ponderis affert huic sententiæ) cum paucis ab hinc annis in hac nostra Romana Vrbe Iudæus quidam homicidio facto, ad Xenodochium agitudine simulata, & Iudaismo occultato, se recepisset, & inter agrotos iaceret, cognitus tandem à satellitibus publicis extractus fuit, reclamans, & immunitatem loci sacri semper obtendens. Re denique multum agitata, iussus fuit loco sacro restitui, ne religio, & immunitas loci sacri in persona etiam infideli violaretur: cum tamen eodem tempore Christianus quidam ob homicidium, cum impunito Alfasinio factum, ab Ecclesia fuerit extractus, & capitali supplicio affectus. Vnde constat, mentem Pontificis esse, vt immunitas hæc ad infideles etiam extendatur. Aliam decisionem similem Congregationis immunitatis factam anno 1631 refert Barbosa de iur. Eccles. lib. 2. c. 3. n. 44.

Nec obstat dicta lex 1. *Cde his qui ad Ecclesiam conf.* nam limitatio in ea contenta videtur ratiōe reprobari in iure Canonico, in quo immunitas hæc ad omnes personas delinquentes vniuersaliter extenditur, vt constat ex pluribus decretis relatis 17. quæst. 4. In dicto autem cap. *Inter alia*, non dicitur obseruandas esse limitationes contentas in legibus civilibus, sed solum dicitur ex decretis sacrorum canonum, & traditione legum civilium constare seruandam esse immunitatem; quod verum est, quamvis non tota, & quoad omnes personas constare possit ex solis legibus civilibus. Nec obstat, quod infideles non sint subditi Ecclesiæ, & ideo legibus Ecclesiæ non videantur comprehensi. Respondetur enim, hæc lege nihil infidelibus præcipi, sed fidelibus solis præcipitur, vt reuerentiam exhibeant locis sacris non illata vi vlla iis, qui ad ea confugiunt: quicunque illi sint. Sicut etiam præcipitur fidelibus ob eorumdem templorum reuerentiam, ne infidelium cadavera in iis sepeliant, & iudiciis fidelibus, ne iudicia secularia in templo exercent etiam in causis infidelium. Denique licet non sint digni Ecclesiæ fauore, qui Ecclesiam non agnoscunt, nec audiunt; ipsa tamen Ecclesia digna est, vt propter eius reuerentiam fideles abstineant in templis ab omni violentia aduersus personas quaslibet exercenda.

Vnde inferitur, quid dicendum sit de hæreticis, qui ad templa confugiunt, non quidem ob hæresis delictum, sed ob alia, in quibus Catholici gaudent immunitate. Aliqui enim negant, quod Catholici gaudent immunitate, quia non sunt subditi Ecclesiæ, & ideo legibus Ecclesiæ non videantur comprehensi. Respondetur enim, hæc lege nihil infidelibus præcipi, sed fidelibus solis præcipitur, vt reuerentiam exhibeant locis sacris non illata vi vlla iis, qui ad ea confugiunt: quicunque illi sint. Sicut etiam præcipitur fidelibus ob eorumdem templorum reuerentiam, ne infidelium cadavera in iis sepeliant, & iudiciis fidelibus, ne iudicia secularia in templo exercent etiam in causis infidelium. Denique licet non sint digni Ecclesiæ fauore, qui Ecclesiam non agnoscunt, nec audiunt; ipsa tamen Ecclesia digna est, vt propter eius reuerentiam fideles abstineant in templis ab omni violentia aduersus personas quaslibet exercenda.

III His ergo suppositis, nunc quæstio est de communicatione solum civili cum infidelibus prohibita. Quam prohibitionem in primis certum est non posse vniuersaliter dirigi ad infideles, cum illi non sint subditi Ecclesiæ, sed dirigitur ad fideles, qui Ecclesiæ subditi sunt, quibus prohibetur communicatio cum infidelibus in certis casibus: si tamen infideles illi fuissent baptizati, possent etiam ipsi ab Ecclesiâ obligari: suppono enim nomine Iudæorum, & Paganorum in his legibus comprehendi eos etiam, qui post baptismum ad Paganismum, vel Iudaismum defece- runt; nam ij etiam sunt proprii Pagani, vel Iudæi. Potest tamen Princeps Christianus hac ipsa prohibitionem obligare directe infideles baptiza- tos sibi subditos propter pacem, & bonum regi- men Reipublicæ, imò & Infidelibus exteris, & non subditis, propter eosdem fines, & propter bonum religionis prohibere commercium cum suis subditis, & ingressum in suum regnum, vt notauit Suarez in præfenti disp. 18. sect. 6. n. 5. qui ibidem bene probat, non deesse iurisdictionem in Ecclesiâ ad prohibendam fidelibus hanc communicationem cum infidelibus, quamuis ex se & intrinsece non sit prohibita, vel mala: sicut alia sæpe præcipiuntur, vel prohibentur, quæ aliunde non erant præcepta, nec prohibita, sed talia, vt præceptum, vel prohibitio conducatur ad fines honestos.

III Primò itaque prohiberi fidelibus familiari- tatem cum Iudæis; supponit Suarez *vbi supra* num. 6. Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 31. num. 3. Castro Palao 1. tom. tract. 4. disputat. 2. punct. 9. num. 6. cum aliis antiquioribus. Quod probant ex cap. Iudæi. c. Ad hæc, &c. finali de Iudæis. Sed in iis textibus non inuenitur ea prohibitio vniuersalis, sed solum quoad famulatum, & ali- quas actiones peculiare, quare familiaritas so- lum erit prohibita de iure naturæ, pro iis casibus in quibus periculum sit subuersionis, non verò de iure positio, vt bene notauit Coninch *dicta* disp. 18. num. 167. Videtur etiam colligi posse illa prohibitio ex Concilio Toletano IV. cap. 61. sed ibi non est sermo de omnibus fidelibus sed de conuersis nouiter ex Iudaismo ad fidem, quibus maius imminet periculum est frequenti conuersatione, & familiaritate cum Iudæis, vt fateretur idem Suarez *dicto* num. 6.

III Secundò prohibetur fidelibus habitare cum Iudæis; ita Sanchez *vbi supra* num. 4. Suarez num. 7. Castro Palao *dicto* num. 6. & alij, & desumitur ex cap. nullus 28. quæst. 1. cap. Iudæi 2. de Iudæis. Hunc casum aliqui reiciunt, quia il- lud caput nullus, desumptum est, ex canonibus Trullanis, qui in Ecclesiâ auctoritatem legiti- mam non habent, ita Coninch n. 168. sed reuera eadem prohibitio continetur in dicto cap. Iudæi, quod est Alexandri III. in Concil. Lateranensi, vbi expresse dicitur: *excommunicentur autem, qui cum eis* (nempe cum Iudæis, & Sarracenis, de quibus sermo erat) *presumpserint habitare.* Non tamen intelligitur prohibitum, quod Chri- stiānus seruum, habeat Iudæum, vel Sarracenum; imò id licitum supponitur in cap. *et si Iudæos*, de Iudæis: quia dominus non dicitur habitare cum seruo, sed seruus cum domino, nec seruus vide- tur Domino afferre ruinam occasionem, quam dominus seruo affert, & id praxis ostendit, qua Sarracenis seruis fideles passim vtuntur, vt ob- seruant Suarez, & Sanchez, quos affert, & se-

quitur Hurtado *vbi supra* §. 42.

Tertiò prohibetur fidelibus, ne ad conuiuium Iudæi accedant, vel Iudæum ad suum conuiuium inuitent: ita Suarez, Sanchez, & alij locis supra citatis, & colligitur ex Concil. Agathensi cap. 40. relato in cap. omnes 28. quæst. 1. Idem etiam ha- betur in Concil. Aurelianensi 3. cap. 13. his ver- bis. *Item Christianis conuiua interdiximus Iu- dæorum, in quibus si forte fuisse probantur, an- nuali excommunicationi pro huiusmodi contuma- cia subiacebunt.* Vbi tamen non videtur prohibi- tum inuitare Iudæum ad conuiuium Christiano- rum, sed quod Christiani ad Iudæorum conui- uia accedant. Vtrumque tamen prohibetur in dicto Concilio Agathensi, vbi ratio etiam pro- hibitionis additur his verbis: *omnes deinceps cle- rici, siue laici Iudæorum conuiua euitent, neque eos ad conuiuium quisquam accipiat, quia eum apud Christianos communibus cibis non vtantur, indi- gnum, atque sacrilegum est eorum cibos à Chri- stianis sumi, cum ea, quæ Apostolo permittente nos sumimus, ab illis indicentur immunda; ac sic inferiores incipiant esse Christiani, quam Iudæi, si nos quæ ab illis apponuntur, vtamur, illi verò à nobis oblata contemnunt.* Quæ ratio ab aliqui- bus ita explicatur, ne nos videamur Iudæis mi- nus sancti, qui pluribus cibis abstinent. Alij ta- men, quos sequitur Coninch *vbi supra* num. 169. melius explicant, ne videamur nos iis hac in re tanquam inferiores cedere, nōsque illis submit- tere comedendo quæ nobis apponunt, atque ita eorum agendi modum aliqua ratione probando, cum illi nostrum improbant reiciendo, quæ illi apponimus.

Aduerte primò, non fieri contra hanc prohi- bitionem, si vel casu, vel ex industria in eadem mensa cum Iudæo comedas, nec ab illo inuitatus nec illum inuitans, sed in diuersorio communi, vel etiam in eius diuersorio emens ab illo cibos, licet ipse simul comedat; nam tunc non te inui- tat, sed vendit tibi cibos: ita auctores supra cita- ti. Vnde idem dicendum puto, si tu simul cum Iudæo ab alio Christiano inuiteris, quia tunc nec Iudæum inuitas, nec ab illo inuitatis, nec oblatos ab eo cibos comedis nec ipse oblatos à te respuit.

Aduerte secundò aliquos velle, non excusari Christianum ab hac prohibitionem, etiam si Iudæi cibos non discernant, quia adhuc nimia familia- ritas cum Iudæis contrahitur: ita Sanchez n. 12. Alij tamen dicunt eo casu non fieri contra hanc legem: ita Azor, Rosella, Angelus, Tabiena, Ar- milla, quos affert idem Sanchez ibidem atque etiam Coninch num. 169. & Castro Palao dicto num. 13. quod videtur satis probabile.

Aduerte tertiò aliquos hoc extendere ad Sar- racenos discernentes cibos, ita Hurtado *vbi supra*, §. 42. & alij multi, quos refert, & appro- bare videtur Sanchez num. 25. Addit tamen Hurtado id intelligi in prouinciis Christianis non Mahometanis. Alij in vniuersum negant hanc extensionem, quia lex odiosa non debet ad alios non expressos extendi: quare quoad eos re- manet solum obligatio iuris naturalis vel diuini vt id non liceat, quando cederet in præiudicium nostræ religionis. Imò addit Coninch hoc to- tum quod ad conuiuia spectat, regulandum esse solo iure naturali, vel diuino, & iuxta consuetu- dinem in singulis locis receptam, quia canones illi supra adducti editi fuerunt in Conciliis Pro- uincia

uincialibus, quæ non habent vim obligandi extra suas Prouincias. Vnde multò minùs hac prohibitione comprehendi videntur ea, ad quæ Sanchez *num. 17.* eam extendit; nempe ad nuptias Iudæorum accedere, vel ad eorum festiuitates eorum templa ingredi, cum eis ludos, & choreas agitare. Quæ omnia, vt benè notat Castro Palao *n. 13.* solum intelliguntur prohibita iure naturæ, & hoc quando vel subuersionis periculum esset, vel in præiudicium nostræ religionis cederet, aut eius implicitam negationem continerent.

118 Quartò prohibetur fidelibus Azyma Iudæorum comedere, vt habetur in cap. nullus 28. q. 1. quem Canonem hac etiam de causa suspectum habet Coninch *num. 168. in fine*, ne fortè sicut alij editus sit ab aliquibus in odium Latinorum, vt suggilarent nostram consuetudinem consecrandi panem azymum, quam deinde eorum potestati in Ecclesia Latina appetitè damnarunt. Quidquid de hoc sit, id solum est illicitum, quando in approbationem ritus Iudaici id fieret. Alioquin ex curiositate, vel alia de causa non est illicitum panem azymum manducare, vt fatetur Coninch *num. 168. & Castro Palao num. 9.* & videtur consentire Suarez *vbi supra num. 7.* Addit tamen propter suspicionem, & periculum intelligi hanc prohibitionem de quacunque manducatione azyimi panis cum ipsis Iudæis, vel accipiendo ab ipsis, secluso autem scandalo, & præsertim interueniente necessitate, non esse illicitum illum tanquam communem panem manducare. Ego tamen video Romæ nullum esse scandalum, imò solere à Iudæis dono dari in festo sui Paschatis Prælaris, & aliis nobilibus Christianis placentas ex azyimo accurate factas, quæ sicut cibi alij ex parte delicatiores absque vllò scrupulo, ob delicias comedantur.

119 Quintò prohibetur fidelibus in eodem cap. nullus, ne in infirmitate Iudæos curationis causa aduocent, vel ab iis medicinam accipiant. Quod omnes primò intelligunt extra casum necessitatis, in qua vtrumque licet. Secundò intelligitur, ne medicina per manus, & ministerium Iudæi recipiatur, & applicetur, quare licebit eam vel gratis, vel pro pretio à Iudæo accipere, ab aliis postea applicandam, ita contra alios, quos affert Sanchez *n. 9.* Suarez *n. 8.* Hurtado *s. 42.* Castro Palao *num. 11.* Quidquid autem sit, an ex illo cap. nullus sit hæc obligatio (nam aliqui illius auctoritatem negant) idem habetur ex Bulla Gregor. XIII. quæ est 68. inter eius Bullas, in 2. tomo Bullarj communis, in qua renouauit eandem prohibitionem factam à Paulo IV. pro statu Ecclesiastico, & confirmatam à Pio V. & extensam ad omnes alias Prouincias in quadam Bulla, quæ est 6. inter Bullas Pij V. in eodem 2. tomo Bullarj communis, in quibus prohibentur Iudæi, & alij infideles Medici etiam vocari, venire ad curandos Christianos, & iidem Christiani eos vocare. Notat autem Suarez dicto *num. 8.* prohibitum hoc fuisse, non solum propter periculum spirituale agrotantium, sed etiam propter corporale: quasi significari posse merito timeri aliquid mali à Medicis Iudæis Christiani nominis, & sanguinis hostibus. Quam suspicionem indicasse etiam mihi videtur Gregorius XIII. in prædicta tabula, in qua semel, & iterum dicit id prohiberi, ne Iudæis Medicis periculum detur grauius delinquendi.

Addit Sanchez *num. 10.* eodem modo licere

Medico Christiano dare, aut vendere medicinas Iudæo agrotanti, non tamen eas illi exhibere, & applicare extra casum necessitatis; eadem enim est ratio familiaritatis vitandæ. Hoc tamen merito reprobat Castro Palao *num. 11.* tum quia lex prohibens non est extendenda ad personas non contentas, & lex illa solum prohibet Christianis Medicum Iudæum, non è contra Iudæis Medicum Christianum: tum etiam, quia non est eadem ratio, cum magis obligatus maneat infirmus Medico Christiano, ne afficiatur Medico Iudæo, à quo curatus est, quam timendum sit Medico Christiano, ne afficiatur Iudæo, quem curauit. Adde posse rationem proxime indicatam periculi corporalis quod Christiani egroti subeunt, dum curantur à Iudæis quod periculum non subeunt Iudæi, si curentur à Christianis.

Sextò prohibentur fideles, ne simul cum Iudæo in eodem balneo lauentur in dicto cap. nullus: quod communiter intelligunt, ne quasi socij, & ex conditio id faciant; secus esset, si casu eodem tempore balneum ingrederentur, nec ibi familiaritatem contraherent. Addunt Coninch, & Castro Palao, hanc prohibitionem non haberi, nisi ex dicto cap. nullus, cuius auctoritas non est legitima, vt supra retulimus.

Septimò prohibentur formæ Christianæ, ne sint nutrices filiorum Iudæorum: de qua prohibitionem, & eius sensu diximus satis *disp. 19. s. 3. r.*

Octauò prohibentur fideles, ne Iudæos heredes suos, vel legatarios instituant, quod probari solet ex l. 1. Cod. de Iudæis; sed ibi solum excluditur Vniuersitas, seu Collegium Iudæorum. Affertur etiam caput, si quis Episcopus, & cap. in iurisdictione, de hereticis, sed ibi prohibitio fit solum Episcopis, & Clericis, ne conlangueos etiam hereticos, vel non Catholicos heredes instituant, vel legatarios: in hoc tamen standum est consuetudini, iuxta quam dicunt institutiones, & legata huiusmodi, à quocunque fidele fiant haberi pro irritis: videatur Suarez *num. 9.* Sanchez *num. 22.* Coninch *num. 172.* Castro Palao *num. 16.* Hurtado *vbi supra s. 44.* vbi benè aduertit, Cathecumenum non comprehendi hac prohibitionem, sed posse hæredem, vel legatarium fidelem esse, cum non sit hereticus, nec infidelis, sed Catholicus.

Vltèrius prohibentur fideles famulam Iudæis, vel ipsos ad officia publica eligere inter Christianos: ipsi etiam Iudæi prohibentur seruos, vel ancillas Christianas habere in terris Christianorum: de his tamen dixi latius *dis. 19. s. 3. r.* nec oportet ea iterum repetere.

Circa hæc tamen nonnulla sunt aduertenda: Primum est, concessum esse iis, qui fidem infidelibus prædicant, vel de eorum conversione agunt, cibos ab iis recipere, & cum iis manducare, vt ex eo cap. quam sit, de Iudæis, colligitur Doctores communiter. Sanchez *num. 16.* Suarez *num. 4. & 7.* Castro Palao *num. 13.* qui alios referunt.

Secundò aduertendum est, præcepta hæc eo modo, quo obligant de iure politico, non esse dispensabilia, nisi à summo Pontifice; quia sunt præcepta vniuersalia, & ipsius Pontificis summi, in cuius legibus non possunt Episcopi, vel alij inferiores dispensare, nisi fortè in casu particulari magnæ, & vrgentis necessitatis, & per quamdam epicheiam, de quo in materia de legibus. Atque ita in casu nostro docent Sanchez *n. 27.* Suarez

Suarez num. 9. Castro Palao num. 19. & alij communiter.

124 *An ha prohibitiones intelligantur in ordine ad omnes Paganos.*
 Dubitatur primò, an ha prohibitiones intelligantur solum in ordine ad Iudæos, an verò in ordine ad omnes Paganos. Affirmant aliqui, quos affect Sanchez num. 25. & Castro Palao num. 18. Alij dicunt comprehendere saltem Sarracenos, non verò Ethnicos, seu gentiles: ita Suarez num. 10. tum quia iura saepe expriment Sarracenos simul cum Iudæis: tum quia eadem videtur esse de illis ratio, cum non minus sint hostes Christianæ religionis; nec minus sit eorum familiaritas perniciosa. Alij melius negant comprehendere alios infideles, nisi in iis casibus, in quibus exprimuntur: Ita Sanchez, & Castro Palao locis citatis, Hurtado §. 40. & alij. Nam lex penal non debet ad alios in ea non comprehensos extendi: & quia peculiaris est ratio in Iudæis, qui acerbiores sunt hostes Christianæ religionis, & magis solliciti de propagatione suæ sectæ, atque adeo magis perniciosa est eorum communicatio. Denique quando lex voluit Sarracenos, vel alios Paganos comprehendere, illos etiam expressit: quare dum exprimit solos Iudæos, de aliis non censetur curare. Addit Castro Palao in duobus solis casibus, expressos fuisse alios, nempe non famulari Iudæis, & Sarracenis, & non præficere Iudæum, vel Paganum publicis officiis. Sed certe sunt & alij casus, in quibus alij præter Iudæos exprimuntur, v. gr. in cap. Iudæi secundo de Iudæis, ubi prohibetur habitare cum Iudæis, & Sarracenis. Item in bullis supra citatis Pontificum, prohibetur vocari medicum Iudæi, vel infideles, & ipsi prohibentur venire ad agrotos Christianos. Item in cap. in eos de hereticis, prohibentur clerici aliquid testamenti relinquere Iudæis, vel aliis non Catholicis: oportet ergo singulas prohibitiones examinare, & videre, an soli Iudæi nominentur, an etiam Sarraceni, an denique omnes alij Pagani vel infideles.

125 *An transgressio huius sit gravis.*
 Dubitatur secundo, an transgressio horum legum sit gravis an solum peccatum veniale. Negant aliqui esse gravem, quando nec est periculum subversionis, nec dignitas Christiani nominis in aliquo minuitur, quæ sunt rationes illarum prohibitionum, quas refert Sanchez ubi supra num. 26. & probabile putat Hurtado §. 39. saltem in aliquibus casibus. Ipse verò Sanchez dicit non excusari à mortali, quæ quasi continuam conversationem, vel nimiam familiaritatem inducunt, ac fidei dignitati derogant, ut cohabitatione cum Iudæis, famulari illis domesticè in quibusvis ministeriis, eos in officiis publicis tolerare. At reliqua excusare à mortali, quando deest contemptus, & subversionis periculum, ac scandalum, saltem si addit aliqua causa iusta, vel ex incuria sit transgressio: excipi tamen eum azy-morum Iudæi, qui semper est mortalis extra necessitatis casum.

126 Hanc sententiam nimis laxam iudicat Suarez, num. 6. & 9. dicens has prohibitiones tam ex materia, quam ex fine esse graves, & obligare sub mortali ex genere suo, quamvis ex leuitate materia possit transgressio interdum esse venialis: cui consentit Castro Palao num. 17. dicens esse per se mortalia omnia illa, quæ in hac materia iure communi prohibentur. Quod ex genere suo mihi etiam verum videtur: nam vocare medicum Iudæum sine necessitate gravissimè

prohibetur in bullis Pontificum, quem tamen casum non numerat Sanchez in iis, quæ sunt peccata gratia: quare immeritò à Castro Palao affectur idem Sanchez tanquam exprimens casum illum de Medico, inter eos, qui obligant sub mortali: id enim non inuenio saltem in eo loco, in quo citatur. Ratio etiam est optima, quam insinuat Suarez illo num. 6. quia si prohibitio legis vniuersalis est, non cessat obligatio in particulari, etiam si finis legis negatiuè tantum in tali persona cesset: quæ ratio maiorem vim habet in casu præfenti, quia non cessat in totum ratio legis, ex eo quod aliquis se firmum in fide reputet, & ideo putet non sibi imminere periculum peruerfionis: multi enim se tales reputant, qui postea in ipsa occasione periclitantur. Alioquin possent etiam libros hereticorum legere, qui se firmos reputant in fide, nec timent periculum peruerfionis: quod tamen Sanchez non concedet, & merito, quia lex iuste id prohibet omnibus, propter periculum, quod imminet multis, si possent licet eos libros legere quicumque antea nihil sibi periculi timent. Idem autem cum proportionem est de quolibet alio genere communicationis, & familiaritatis, cum Iudæis, & Paganis, quæ iuste poterit omnibus prohiberi propter periculum generale, quod aliqui verè poterunt subire, si omnes, qui nihil timent, possent cum illis conuersari. Si ergo lex aliquid vniuersaliter omnibus prohibeat in eo genere, obseruandum est ab omnibus, licet videantur sibi à periculo tuti, exceptis sepe iis, quibus incumbit cura conuertendi infideles; in quibus finis legis cessat non solum negatiuè, sed etiam contrariè, ut notauit idem Suarez illo n. 6.

Hoc loco tractat late Hurtado dicta diff. 7. 6. sect. 3. de prohibita armorum delatione ad infideles. Hoc tamen pertinet ad materiam de censuris, in expositione Bullæ cœnæ, ubi latè à Doctoribus explicatur, nec enim oportet omnia, quæ vbi libet circa infideles tractantur, reducere ad tractatum de fide, qui hac occasione cresceret in immensum. Qua etiam de causa omitto questionem, quam late tractat idem Hurtado ibidem sect. 4. de communicatione licita cum infidelibus in bello, nimirum quando liceat illos in bello adiuuare, vel ab illis ad bellum adiuuari, quod pertinet magis ad tractatum de bello.

127 *De prohibita armorum delatione ad infideles, remissum.*

SECTIO V.

Disputatio cum infidelibus, an, & quomodo licita sit.

128 **H**Oc etiam pertinet ad communicationem cum infidelibus prohibitam, & commune est omnibus infidelibus, tam Iudæis, & Paganis quam etiam hæreticis. Potest autem prohibitio hæc provenire aliquando ex iure naturæ, aliquando ex iure positivo humano. Notant autem aliqui, duplicem esse disputationem, alteram formalem, alteram quasi materiale: disputatio formalis dicitur, quando fit ad convincendum aduersarium, & persuadendum ei, quod ipse negat esse verum: materialis verò dicitur, quando uterque idem credit, sed tamen exercendi ingenij causa, & ut dici solet, disputationis gratia, impugnatur conclusio de fide animo tamen catholico. De hac itaque disputatione materiali circa res fidei

128 *Disputatio alia formalis, alia quasi materialis.*